Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26236
Copyright: Admont, Benediktinerstift

hoc solum ut sit quod fiet. quoniam bonum est ita esse.
et non aliud quam fiet siue operatione dei quod
bonum est. siue permissione quod malum est.
quod tamen esse bonum est. Et non respondet
preceptum eius et prohibitio eius beneplaci
to eius. sicut operatio eius et permissio eius.
sed procedunt ex aduerso. et dissimi
liter ordinantur. et non consentiunt aliquo
tiens secundum id quod futurum est et fiet.

**Quomodo fallere uidetur deus precep
tione uel prohibitione aliud in
ueniens quam sit in beneplacito suo.**

Et uidentur precepta dei fallacie
obnoxia et muti de ueritate. cum
aliquid significant de uoluntate eius. et
affirmant nobis aliena quedam et ex
tranea. et que conducta non sunt neque
constant secundum beneplacitum ipsius. quod
ratum est de his que fient omnibus. Et
grauiter colluctatur conscientia
humana in duobus aduersantibus que
non conueniunt. uel quare precepit
deus quod noluit. uel quare non est factum quod
uoluit. Si enim ueritas est in precepto.
uidetur omnino uoluisse quod iussit. Et
si omnipotentia est in beneplacito.
uidetur factum esse quod uoluit. Non est
autem factum quod iussit. et factum est quod pro
hibuit. Quid ergo consequitur ad hoc nisi
eum uel noluisse id quod precepit. uel non po
tuisse quod uoluit. Quod enim factum
est ab eo factum est. et si factum non est. tamen permis
sum est. Et si factum est. uoluntarie factum
est. et si permissum est uoluntarie permissum
est. quia neque ad faciendum contra uolunta
tem suam compelli potuit. neque ad permit
tendum sine uoluntate cogi. Igitur quod
factum est uoluntate eius factum est. et si
propter uoluntatem eius factum non est. quoniam alia
factum est uoluntate. que uoluntati
eius amica non est. Tamen omnino uo
luit quod factum est. quoniam bonum est. sic fac
tum esse ut factum est. et sic esse ut est.
Quare ergo precepit ut aliter esset et
prohibuit ne sic esset. cum bonum sit ita
esse. et ita futurum fuit. priusquam fu
it. et beneplacitum quia bonum fuit.
ita esse et aliter non esse.

**Utrumque dicitur sonare uel quia deus precipiat quod nolit
uel quod nolit fieri permittat.**

Mali questione coartamur et ducimur
in ambiguum ut non facile audea
mus hoc uel hoc aliquid affirmare.
quia deus fieri precepit quod uoluit. uel quod
noluit fieri permisit. Et tamen unum
e duobus facilius approbamus. quia uo
luit quod precepit bonum. quam malum quod
permisit. cum tamen quod precepit factum non
sit bonum. sed malum quod permisit. Leue
enim est et sine conscientie scrupulo dicitur.
deus uult bonum. Et cum dicitur bene sonat.